



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Verna - A Dominica Septuagesimæ, ad Dominicam SS. Trinitatis

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Vera contritio dolorem sensibilem nec includit nec excludit. Evangelium
Feriæ, idem est ac sequentis Dominicæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44214

III. PUNCTUM.

VERA ergo Contritio dolorem illum sensibilem nec includit nec excludit; Cum vera Contritio in vera peccatorum detestatione consistat, quæ sic formari potest sine dolore sensibili, ut eum eo etiam formari possit. *Sicut fuit sensus vester, ut erraretis à Deo, decies tantum iterum convertere requiretis eum.* Hoc est verè conteri & pœnitere; tum verò bene sperandum, quod dicitur *Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum, & non imputabit eis, quod minus sanctificati sunt.*

Expende illud in toto corde, sic enim totum in hoc toto corde reponitur, ut si quidem adfit, nihil ad veram desit pœnitentiam; si quid verò desit de toto, tunc absit totum, quod requiritur, nec nisi forte in mendacio reverti dicitur, qui non in toto corde revertitur. Hoc certè indicat ipsum nomē Contritionis, quæ quasi quædam est totius cordis in minutissimas partes scissio, sicque Scriptura sæpius, *Scindite corda vestra.* Unde & dicitur *Sacrificium, ac ipsum holocaustum, quod est præstantius, & quod Deo totum immolatur. In animo contrito & spiritu humilitatis suscipiamur: sicut in holocausto arietum & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo.* Sic in fornace Babylonica tres illi Viri, qui se interno incendebant igne, suaque Deo mactabant

corda, dum in externis flammis sua videbant spirare corpora. Sic aptè S. Augustinus in Psalmum quinquagesimum: *In te habes quod Pf. 50. offeras: habes in te quod occidas: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit.*

Egægium porro sermonem habet sanctus Bernardus de cordis Contritione, qui totam *Serm. 16.* eius formam ad hæc præcipua refert; *Deum in Cant. cogita factorem tuum, cogita & benefactorem, cogita patrem; cogita Dominum. Ad omnia venis es, plange per singula. Quanam fronte attollo iam oculos ad vultum patris tam boni, tam malus filius? Confundor, confundor audire: si ego pater, ubi est honor meus? sed etsi pater non esset, obrueret me beneficium.*

Et quæ plura pergit, quæ tantò erunt validiora, quantò erunt magis unita Cordi Contrito Christi Jesu, qui hoc ipsum, quod doles peccatum ita doluit ut dolere nunquam desinat, quia doloris eius meritum nunquam exhaustur, sicque modò tam potest esse efficax, quàm dum ipso doleret actu, si quod tum est modo facias, & quoties dolendum erit, sic cum ipso perfectè doleas.

Quàm autem id frequenter sit exercendum, habes inferius in hebdomada Passionis, Feria quarta, ubi hæc ponitur Veritas.

Cruce interdum à corpore, sed nunquam ab animo deponenda.

Evangelium Feriæ, prorsus idem ac sequentis Dominiçæ.

DOMI-